

Non sacramenta christiana faciunt te hæreticum, sed prava dissensio. Non propter malum, quod processit ex te, negandum est bonum, quod remansit in te; quod malo tuo habes, si non ibi habes unde est bonum quod habes. Ex catholica enim Ecclesia sunt omnia dominica sacramenta, quæ sic habentis & datis, quemadmodum habebantur & dabantur, etiam prius quam inde exiretis. Non tamen ideo non habetis, quia ibi non estis, unde sunt quæ habetis. Non in vobis mutamus in quibus nobiscum estis; in multis enim estis nobiscum; nam & de talibus dictum est: *Quoniam in multis erant mecum:* sed ea corrigimus in quibus nobiscum non estis, & ea vos hinc accipere volumus, quæ non habetis illic ubi estis. Nobiscum autem estis in baptismo, in symbolo, in ceteris dominicis sacramentis. In spiritu autem unitatis, & vinculo pacis, in ipsa denique catholica Ecclesia, nobiscum non estis. Hæc si accipiatis, non tunc aderunt, sed tunc proderunt quæ habetis. Non ergo, sicut putatis, suscipimus vestros, sed suscipiendo efficiamus nostros qui recedunt à vobis, ut suscipiantur à nobis: & ut incipiant esse nostri, prius desinunt esse vestri. Nec nobis conjungi compellimus operarios erroris, quem detestamur: sed ideo nobis illos homines conjungi volumus, ne hoc sint, quod detestamur.

47. Sed baptizabit, inquis, post Joannem Paulus Apostolus. Numquid post hæreticum? Aut si forte audes illum amicum sponsi hæreticum dicere, & in unitate Ecclesiæ non fuisse, volo & hoc scribas. Si autem hoc dementissimum est, vel sentire, vel dicere, jam

149

tux prudentiæ est considerare, quare post Joannem Paulus Apostolus baptizaverit. Si enim post æqualem, omnes post vos baptizare debetis. Si post majorem, debes & tu post Rogatum. Si post minorem, debuit post te Rogatus, cum presbyter baptizasses. Si autem baptismus, qui nunc datur, ideo pariter valet in eis, quibus datur, quamvis sint imparis meriti per quos datur, quia Christi est, non eorum à quibus ministratur; puto quod jam intelligas, ideo Paulum dedisse quibusdam baptismum Christi, quia Joannis baptismo fuerant baptizati, non Christi. Joannis quippe baptismus ille dictus est, sicut multis locis divina Scriptura testatur, quod & ipse Dominus dicit: *Baptismus Joannis unde erat? De celo, an ex hominibus?* Baptismus autem quem dedit Petrus non erat Petri, sed Christi; & quem dedit Paulus non erat Pauli, sed Christi; & quem dederunt qui tempore Apostolorum non castè, sed per invidiam Christum annuntiabant, non erat eorum, sed Christi; & quem dederunt qui tempore Cypriani fundos insidiosis fraudibus rapiebant, usuris multiplicantibus fœnus augebant, non erat eorum, sed Christi. Et quia Christi erat, ideo quamvis non per æquales daretur eis, tamen quibus dabatur æqualiter proderat. Nam si tantò meliùs quisque baptizatur, quantò à meliore fuerit baptizatus, non rectè gratias agit Apostolus, quod neminem corinthiorum baptizaverit, nisi Crispum, & Gaium, & Stephanæ domum. Tanto enim meliùs baptizarentur, quanto erat Paulus melior, si ab ipso baptizarentur. Denique cum dicit: *Ego plantavi, Apollo rigavit;* videtur significare se evangelizasse,

Vincentius
Rogatus
presbyter
fuerat.

Mat. 21.
25.

I. Cor. 1.
14.

I. Cor. 3. 6.

K 3

illum

illum baptizasse. Numquid melior Apollo, quam Joannes? Cur ergo post istum non baptizavit, qui post Joannem baptizaverat; nisi quia iste baptismus, per quemlibet datus; Christi erat: ille autem, per quemlibet datus, quamvis Christo viam praepraret, tamen Joannis erat?

48. Invidiosè dici videtur: Post Joannem baptizatum est, & post hæreticos non baptizatur: sed potest & hoc invidiosè dici: Post Joannem baptizatum est, & post ebriosos non baptizatur. Melius enim hoc vitium commemorò, quod nec occultare possunt in quibus regnat; & quàm multù ubique sint, quis vel cæcus ignorat? Et tamen inter opera carnis, quæ qui agunt, regnum Dei non possidebunt, etiam hoc ponit Apostolus; ubi etiam hæreses enumerat: *Manifesta autem, inquit, sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitie, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comestiones, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Hac ergo ratione, quamvis baptizatum sit post Joannem, non baptizatur post hæreticum, quia ratione quamvis baptizatum sit post Joannem, non baptizatur post ebriosum: quoniam & hæreses & ebrietates in eis operibus sunt, quæ opera qui agunt, regnum Dei non possidebunt. Nonne tibi videtur quasi intolerabiliter indignum, ut cum baptizatum fuerit post eum, qui non sobriè vinum bibens, sed vinum omninò non bibens, regno Dei viam paravit; non baptizetur post ebriosum, qui reg-

regnum Dei non possidebit? Quid hîc responderetur, nisi quia ille baptismus erat Joannis, post quem Christi baptismo baptizavit Apostolus; iste autem baptismus Christi est, quo baptizavit ebriosus? Inter Joannem & ebriosum à contrario multùm interest: inter baptismum Christi & baptismum Joannis non à contrario, sed tamen multùm interest. Inter Apostolum & ebriosum multùm interest: inter baptismum Christi, quem dedit Apostolus, & baptismum Christi quem dedit ebriosus, nihil interest. Sic inter Joannem & hæreticum, à contrario multùm interest; & inter baptismum Joannis, & inter baptismum Christi, quem dat hæreticus, non à contrario, sed multùm interest. Inter baptismum autem Christi, quem dedit Apostolus, & baptismum Christi, quem dat hæreticus, nihil interest. Agnoscitur enim sacramentorum species æqualis, etiam cum magna differentia est in hominum meritis.

49. Sed, da veniam, erravi, quando te volui de ebrioso baptizante convincere; exciderat mihi cum rogatista me rem habere, non cum qualicumque donatista. Potes enim tu in tam paucis collegis tuis, & in omnibus clericis vestris nullum invenire forsitan ebriosum. Vos enim estis, qui non ex totius orbis communione, sed ex observatione præceptorum omnium divinatorum atque omnium sacramentorum tenetis catholicam fidem: in quibus eam solis inventurus est, cum venerit filius hominis, quando non inveniet fidem in terra: quia nec terra estis, nec in terra, sed cælestes in cælo habitatis. Nec timetis, nec attenditis, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam? Nec vos Evange-

Jacobi 4.6.

Luc. 18. 9.

lii locus ipse compungit, ubi Dominus ait: *Cum venerit filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* Continuo quippe tamquam præsciens nonnullos sibi superbe arrogaturos hanc fidem, dixit ad quosdam, qui sibi iusti videbantur, & spernebant ceteros, similitudinem hanc: *Duo quidam adscenderunt in templum orare, unus Pharisæus, & alter publicanus, & cetera.* Jam tibi quæ sequuntur, ipse responde. Inspice tamen diligentius ipsos paucos vestros, utrum nullus illic baptizet ebriosus. Tam enim late vastat hæc pestilentia animas, & tanta libertate dominatur, ut multum mirer, si non etiam vestrum gregiculum penetravit: quamvis ante ipsum adventum filii hominis, unius boni pastoris jam vos oves ab hædis separasse jactetis.

CAPUT XII.
Matt. 3. 12.

Psal. 112.
3.

23. q. 7. cap.
Quicumque.

Prov. 13.
22.

50. AUDI sanè per me vocem dominicorum frumentorum, in area dominica usque ad ultimam ventilationem inter paleam laborantium, per totum scilicet mundum; quia Deus vocavit terram à solis ortu usque ad occasum; ubi etiam pueri laudant Dominum. Quicumque vos ex occasione legis hujus imperialis, non dilectione corrigendi, sed inimicandi odio persequitur, displicet nobis. Et quamvis res quæque terrena non rectè à quoquam possideri possit, nisi vel jure divino, quo cuncta justorum sunt, vel jure humano, quod in potestate regum est terræ; ideoque res vestras falsò appelletis, quas nec iusti possidetis, & secundum leges regum terrenorum amittere jussi estis; frustra que dicatis: Nos eis congregandis laboravimus, cum scriptum legatis: *Labores impiorum iusti edent*: sed tamen quisquis ex occasione hujus legis, quam

re-

reges terræ Christo servientes, ad emendam vestram impietatem promulgaverunt, res proprias vestras cupidè appetit, displicet nobis. Quisquis denique ipsas res pauperum, vel basilicas congregationum, quas sub nomine Ecclesiæ tenebatis (quæ omninò non debentur nisi ei Ecclesiæ, quæ vera Christi Ecclesia est) non per justitiam, sed per avaritiam tenet, displicet nobis. Quisquis pro aliquo flagitio vel facinore projectum à vobis ita suscipit, sicut suscipiuntur qui (excepto errore quo à nobis separamini) sine crimine apud vos vixerunt, displicet nobis. Sed nec facillè ista monstratis, & si monstretis, nonnullos toleramus, quos corrigere vel punire non possumus: neque propter paleam relinquimus aream Domini; neque propter pisces malos rumpimus retia Domini; neque propter hædos in fine segregandos, deserimus gregem Domini; neque propter vasa facta in contumelium, migramus de domo Domini.

51. TU autem, frater, quantum mihi videtur, si vanam gloriam hominum non adendas, & insensatorum contemnas opprobrium, qui dicturi sunt: Quare modò a destruis quæ prius ædificabas? sine dubio transies ad Ecclesiam, quam veram sentire te intelligo; nec hujus sententiæ tuæ testimonia longè peto. Tu quippe in ejusdem tuæ epistolæ principio, cui nunc respondeo, hæc verba posuisti: *Cum optimè, inquis, noverim te longè adhuc à fide christiana sepositum, & studiis olim deditum litterarum, quietis &*

24. q. 1.
Quisquis.

CAPUT
XIII.

ho-

* MSS. plerique & antiquiores editiones carent his verbis: *destruis quæ prius ædificabas.*

honestatis fuisse cultorem; cumque postea conversus ad christianam fidem (ut ex multorum relatione cognovi) disputationibus legalibus operam daret. Certè si tu ad me illam epistolam misisti, hæc verba tua sunt. Cum ergo fatearis me conversum ad christianam fidem, cum ego nec ad donatistas, nec ad rogatistas conversus sim; sine ulla dubitatione confirmas, & præter rogatistas, & præter donatistas esse christianam fidem. Hæc ergo fides, sicut dicimus, in omnibus gentibus dilatatur, quæ secundum Dei testimonium in semine Abrahamæ benedicuntur. Quid igitur adhuc dubitas tenere quod sentis, nisi quia id quod nunc sentis, vel aliquando non sensisse, vel aliud defendisse confunderis; & dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore; quod utique potius erubescendum fuit?

Gen. 22.
18.

Eccle. 4.
25.

Psal. 54.
16.

52. Hoc est illud quod Scriptura non tacuit: *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam.* Confusio adducit peccatum, cum erubescit quisque pravam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut a diu errasse seipso ^a iudice teneatur: ita *descendunt in infernum viventes*, id est, suam perditionem sentientes, quos Dathan, & Abiron, & Chore hiatu terræ absorpti, tanto antè futuros figuraverunt. Confusio autem adducit gratiam & gloriam, cum erubescit quisque de propria iniquitate, & poenitendo in melius commutatur: quod te facere piget illa perniciose confusione superatum, ne tibi ab hominibus

^a Sic MSS. plerique & editiones Bad. Am. Er. At Lov. habet, aut diversus à se ipso iudice &c.

nescientibus quid loquantur, obijciatur illa apostolica sententia: *Si enim quæ destruxi, eadem iterum ædifico, prævaricatorem meipsum constituo.* Quæ si dici posset etiam in eos, qui veritatem correcti prædicant, quam perversi oppugnabant, in ipsum Paulum primitus diceretur, in quo Ecclesiæ Christi magnificabant Deum, audientes quod evangelizaret fidem, quam aliquando vastabat.

Gal. 2.18.

53. Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine poenitentia posse transire. Sed nimis impudens error est, hinc velle calumniari Ecclesiam, quam tot divinis testimoniis constat esse Ecclesiam Christi, quod aliter tractat illos qui eam deserunt, si hoc ipsum poenitendo corrigant; aliter illos qui in ea nondum fuerunt, & tunc primum ejus pacem accipiunt; illos amplius humiliando, istos lenius suscipiendo, utrosque diligendo, utrisque sanandis materna caritate serviendo. Habes epistolam prolixiorē fortasse quàm velles. Esset autem multò brevior, si te tantum in respondendo cogitarem. Nunc verò etiamsi tibi nihil prosit, non puto nihil eis profuturam, qui eam legere cum Dei timore, & sine personarum acceptione curaverint. Amen.

De poenit.
dist. 1. Ne-
minem.

EPISTOLA XLIII. *

* *Alids*
C L X I I.
quæ autem
43. erat,
nunc 16.

Quanta impudentia donatistæ persistent in suo schismate tot iudiciis convicti.

Dominis dilectissimis & meritò prædicandis fratribus GLORIO, ELEUSIO, ^a FELICIBUS, GRAMMATICO, & ceteris omnibus, quibus hoc gratum est, AUGUSTINUS.

I. DIXIT quidem Apostolus Paulus: *Hæreticum hominem post unam correptionem devota, sciens quia subversus est ejusmodi, & peccat, & est à semetipso damnatus. Sed qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint; nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. Tales ergo vos nisi esse crederem, nullas fortassè vobis litteras mitterem. Quamquam & ipsum hæreticum quamlibet odiosa superbia tumidum, & pervicaciæ malæ contentionis insanum, sicut vitandum monemus, ne infirmos & parvulos fallat; ita non abnuimus, quibuscumque modis possumus, corrigendum. Unde factum est, ut etiam ad nonnullos donatistarum primarios scri-*

^a Bad. Am. Er. & unus è Vaticanis MSS. habent, *Felici*: alius Vat. *Felicibus grammaticis*.

scriberemus, non communicatorias litteras, quas jam olim propter suam perversitatem ab unitate catholica, quæ toto orbe diffusa est, non accipiunt; sed tales privatas, qualibus nobis uti etiam ad paganos licet, quas illi etsi aliquando legerunt, respondere tamen eis sive noluerunt, sive, ut magis creditur, nequiverunt. Ubi nobis satis visum est implevisse nos officium caritatis, quam non solum nostris, sed & omnibus nos debere sanctus Spiritus docet, qui nobis ait per Apostolum: *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat in caritate, in invicem & in omnes.* Monet etiam alio loco, in modestia corripiendos diversa sentientes; *ne fortè, inquit, det illis Deus penitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de diaboli laqueis, captivati ab ipso in ipsius voluntatem.*

2. Hæc præloquutus sum, ne quis me existimet, impudentius vobis quam prudentius scripta misisse, & hoc modo vobiscum de negotio animæ vestræ aliquid agere voluisse, quia nostræ communionis non estis; cum tamen si de negotio fundi, aut alicujus pecuniariæ litis dirimendæ vobis aliquid scriberem, nemo fortassè reprehenderet. Usque adeo CARUS EST hic mundus hominibus, & sibimet ipsi viluerunt. Erit ergo mihi ad defensionem testis hæc epistola in iudicio Dei, qui novit quo animo fecerim, & qui dixit: *Beati patris, quia ipsi filii Dei vocabuntur.*

3. ERGO ut meminisse dignamini, cum essemus in vestra civitate, & nonnulla vobiscum de communione christianæ unitatis ageremus, prolata sunt à partibus vestris gesta quædam, quibus recitatum est, quòd septuaginta fermè episcopi Cæcilianum quondam nos-

træ

1. *The*. 3.
12.2. *Tim*. 2.
26.*Math*. 5. 9.

CAPUT II.